



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 95. Lotharingii Cardinalis oratio in eodem conventu habita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul. XVI.
A. C. 1560.

La Popel.
l. 6. p. 204.

„vitam adversus rebellium conatus mu-
niri oportuerit, nam contra Regiam
Majestatem vestram, non contra tuos
Ministros, uti vulgo maligne jactatur,
initam nuper conjurationem ambigi
non potest. Religionem quod spectat,
doctiorum judicio sto: ceterum palam
contestor, nulla nunquam concilia, qua-
lia maris Præfectus postulat tanti apud
me fore, ut ab antiquo Majorum cultu
ulla in re, ac præcipue in sacrosancti
Missæ Mysterii & Sacramentorum quæ-
stione deflectam. De Franciæ ordinum
convocatione, quam idem Præfectus
urget, Regis voluntatem omnino am-
plector: his præmissis subjunxit: de
cetero Regii exercitus imperio semper
ea fidelitate præfui, ut gloriosum lu-
premi Ducis, ac Regii Legati nomen
per univèrsam Regnum omnium pri-
mus emeritus fuerim, & quidem cum
ea potestate, qua ampliorem præter
Regii Palatii Præfectos hucusque nemo
alius est consecutus.

§. XCV.

*Lotharingii Cardinalis oratio in eo-
dem conventu habita.*

*Thuan. l. 6.
Popel. l. 7.
p. 204.
Davila l. 2.
p. 57.*

Denique inter ceteros postremus per-
orabat Lotharingius Cardinalis, ac
Colinio maris Præfecto objectabat, quod
tunc, si ipse quinquaginta Calvinistarum
millia

Sæcul. XVI.
A C 1560.

millia pro se numeraret, decies cen-
 tensa millia fidelium, ac Catholicorum
 subditorum, qui sese hisce hæreticis
 opponerent, Regi haud deessent. his
 addidit: „quamvis tuus libellus supplex
 „ad modestiam compositus esse videa-
 „tur, re tamen ipsa arrogantia turget,
 „nam illius Authores se Regi obtempe-
 „ratos profitentur, ea duntaxat lege,
 „si Rex pravis ipsorum opinionibus assen-
 „tiatur: non enim aliorum tendit ar-
 „rogans eorum petitio, nisi ut ipsis
 „suam sectam profitendi libertas, &
 „templa concedantur, damnataque illo-
 „rum doctrina approbetur: porro, quo
 „perniciosa eorum consilia vergant, sat
 „constat ex famosis libellis, quos ubi-
 „que disseminant, ex quorum immenso
 „numero aliquot penes me habeo, quo-
 „rum viginti duos studiose magno de-
 „coris mei testimonio conservare satago:
 „quippe ab impuris nebulonibus male
 „audire, & maledictis proscindi laudi
 „duco: de cetero nihil fallacius est,
 „quam prava Religio; nam ab hujus
 „sectæ alumnis, Evangelii & fidei,
 „nomen in turbarum, ac seditio-
 „num occasionem sumitur: itaque in
 „eos severe animadvertendum; censeo
 „tamen, mitigandam esse poenarum
 „acerbitatem erga eos, qui sine armis
 „sola conscientia ducti Religionis causa

Sæcul. XVI
A C 1560.

„coiverunt, qui potius admonitione ad
„officium reduci, quam vi cogi debere
„videntur: in eam rem, si quid pro-
„ficere possem, vitam libenter profunde-
„rem. Denique Episcopi, ac Parochi
„in id incumbere debent, ut præsentia
„sua præteriti temporis jacturam in po-
„sterum sarciant: Præfecti item Provin-
„ciarum ad munia sua exequenda adi-
„gantur: cum vero tantum de disciplina,
„ac corruptis moribus agatur, minime
„videtur necessarium, ut Concilium uni-
„versum, aut nationale congregetur,
„si tamen eo opus fuerit, Episcopis, ac
„Parochis mandandum, ut notatis er-
„roribus, qui corrigi debent, Regem
„intra duorum mensium spatium mo-
„neant.,,

§. XCVI.

Ordinum comitia Meldis indidta.

Thuan. l. 6.
Pallav. l. 14.
c. 12. n. 13.

Postmodum ceteri Optimates, ac præ-
cipue Ordinis S. Michaelis Equites
se in Cardinalis sententiam ire asser-
bant: quapropter Rex, & Regina ejus
Mater gratis universo confessui actis
congregatos valere jusserunt, seque eo-
rum consilium sequi paratos profiteban-
tur, ac re ipsa die vigesima sexta Augusti
edito decreto sanciebant, ut proxima
die decima Mensis Decembris in Mel-
dorum civitate Regni comitia haberen-
tur,